



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Benevolentiae spontaneæ studiosissimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

tate prodibat, dicere solitus; Societatis ope- *Amor soli-*
 rarium cùm in cubiculo delitescit, debere in *tudinis sol-*
 lucem protrahi desiderio procurandæ alienæ *licitudine*
sanctam mi-
 salutis; cùm verò iam prodijt ad opem ani- *xtus.*

mis proximorum impendendam, debere
 rursus reuoçari desiderio cubiculi, ne scilicet
 diuturniore solitudine torpeat, aut effusâ ni-
 miū consuetudine elangueſcat. Reperiun-
 turque crebrò in schedulis eius scriptis hæc
 repetita verba: *Amabo cellam. Quoties eius-*
 dem sui cubiculi contubernalis in cubicu-
 lum reuertebatur, perpetuò erectus in pedes
 aperto eum capite salutabat. Numquam ipse
 in cubiculum redibat, nisi expresso Crucis
 signo, lustralique aspersus aquâ, & breui de
 genibus oratione dictâ. Quamdiu intrò in *Qualis in*
 cubiculo versabatur, mensæ adstans, aut assi- *cubiculo.*

dens, tantâ degebat quiete, vt numquam vel
 momento grauis fuerit contubernali; cui,
 quoties quid se velle diceret, Latinè ex præ-
 scripto semper respondebat.

Cùm semel ei contubernalis sius dixisset, *Benevolen-*
 licere sibi de Rectoris auctoritate cum eo *tis sponta-*
 dubitationes suas Philosophicas per diem *nea studiū.*
 conferre, ipse deinceps prior eum admonere,
 perinde ac sua utilitas ageretur. Si verò socij
 sui valetudo fuisset morbulo aliquo tentata,
 Ioannes biduo triduōve lectum eius sterne-
 re, officiaque omnia deferre. Tam illustria

virtutum documenta edebat suis illis eiusdem secum cubiculi habitatoribus, ut cum fortè aliquando (vti fit) contubernij superior statuisset Adolescentulum quemdam, qui Ioanni adhabitabat, in aliud immigrare cubiculum, tanto ille gemitu dolorem suum est testatus, vt è re esse iudicatum sit, non dirimere tam utilem charamque societatem; adeò se præstantibus virtutum incitamentis spoliatum iri per eius absentiam querebatur, cuius in eodem cubiculo præsentia inflammati se non secùs atque Angeli cuiusdam conspectu asserebat. Enitebat in eius cubiculo quidam paupertinæ inopiæ splendor: nec librum, nec rem ullam non necessariam apud se habebat; quin palimpsesti cuiusdam gypsatas tabellas, tamquam superfluas, domus Ministro restituebat.

*Cubiculi
paupertas.*

*Rebus om-
nibus se
spoliat.*

E Belgio Romam profectus, cingulum visum sibi aliquantò quam aliorum præstantius, vestium curatori seruandum dedit, sumpto alio viiore. Imaginibus quoque, quas bono numero (vt discedenti datae erant) attulerat, se abdicavit; ijs solùm retentis quibus illi sua nomina inscripserant, qui preces eius flagitabant: atque his quoque, cum rogaretur, haud grauatè se nudauit: quin omnes deinde vel è Belgio, vel à ciuibus suis dono acceptas, Rectori offerebat, eiusque ad ostium,